



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Antidota Evangelica contra horum temporum hæreses

Stapleton, Thomas

Antverpiae, 1595

27. Sumens staterem, da eis pro me & te.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39546

mis est: quam ventricolæ Calvinistæ omnibus modis peruertere conantur.

27. *Sumens staterem, da eis pro me & te.*

SVBSANNAT hoc loco Catholicos Calvinus, qui ex hoc Christi factō aliquem Petri præ ceteris Apostolis primatū colligunt.

Petri primatus.

Ridiculi (inquit) sunt Papistæ, qui tam friuolo prætextu Petrum dignitatis socium Christo faciunt. Vicarium (inquit) sibi elegit, & pari secum honore dignatus est, quem

Papistarū nomine antiquos Patres taxat Calvinus.

solutione tributi sibi æquavit. Hæc ille. Atqui si ridiculi sunt hoc nomine Papistæ, ridiculi quoque erant hoc nomine doctissimi & antiquissimi Patres, Augustinus, Chrysostomus, Hieronymus, & alij valde multi eos sequuti. Augustinus ita scribit.

Quæritur ex nouo Testam. q. 75. Homil. 66 in Matth.

Saluator quom pro se & pro Petro dari iubet, pro omnibus exoluisse videtur. Quia sicut in Salvatore erant omnes cause magisterij, sic & post Saluatorem in Petro omnes continerentur. Ipsum enim constituit esse caput eorum, ut pastor esset gregis dominici. Hæc ille. Chrysostomus ait, Zebedæi filios ideo à Christo petiisse ut vnus eorum à dextris, alter à sinistris sederet, quia Petrus sibi ex hoc proxime præcedenti factō præferri formidabant. D. Hieronymus ait.

In comm. in cap. 18. Matth.

Quia ceteri Apostoli videntes pro Petro & Domino idem tributum redditum, ex æqualitate precij arbitratifunt omnibus Apostolis esse prelatum, qui in redditione tributi Domino fuerat comparatus, ideo statim interrogasse Christum (vt initio seq. cap. habetur), quis maior est in regno celorum? Hæc illi Patres, qui si Caluino ridiculi videntur, erit ipse multo magis ridiculus, vel meritò potius execrandus.

Nunc autem ex literæ consideratione Petri primatum satis sobriè colligi posse ostendemus. Erat hoc didrachmum viritim & per capita soluendum,

uendum, vnde in textu Syriaco vocatur **ܢܝܚܐ**
ܩܦܩܩܐ *argentum capitis* : idque ab omnibus qui 20.
 annum exceſſerunt, iuxta legem Moysi: omnisq; Exod. 30.
 pecunia in templum inferebatur, idque tanquam
 precium pro animabus suis Deo offerendum, in
 vſus templi. Arguit Chriſtus à ſimili in Regibus
 gentium, quorum filij naturales tributa populo
 communia non ſoluunt, quòd & ipſe tanquam
 Dei filius naturalis liber ſit ab hoc didrachmo:
 maximè pro ſua anima precium dare non tene-
 batur, qui pro omnium animabus ſemetipſum in
 precium daturus erat. Ait tamen: *Ne ſcandalizemus*
eos, ſ. Iudæos iſtos didrachmi exactores, qui me
 adhuc eſſe filium Dei ignorant, ſicuti tu bene
 noſti, iuxta confeſſionem tuam ante paucos dies
 factam. *ſumens ſtaterem*, qui eſt duplex didrachmū,
ſolue pro me & pro te. Non ſoluit pro ſe ſolo, ſed
 etiam pro Petro; Non dicit, ne ſcandalizem eos,
 ſed, ne ſcandalizemus eos; tam de ſe quàm de Pe-
 tro; quia cenſebat vtrumq; liberum & immunem
 eſſe debere ab hoc tributo: ſe quidem tanquam
 Dei filium naturalem, & *Caput ſuper omnem Eccle-*
ſiam vitale ac principale: Petrum verò non tan-
 quam ex familia ſua, ſicut tota familia filij Re-
 gis libera eſſe ſolet (ſic enim pro omnibus Apo-
 ſtolis ſoluere debuiffet) ſed tanquam filij Dei
 vicarium, & totius Eccleſiæ fundamentū ac ca-
 put miniſteriale. Idcirco nec pro ſe ſolo ſoluit, ad
 vitandum ſcandalum; nec pro omnibus Apoſto-
 lis. Non pro ſe ſolo, ex cauſa antedicta: non pro
 omnibus Apoſtolis, quia illi necdum à Chriſto
 poteſtatem acceperant, vt liberi atque immunes
 forent, ſicut Petrus, certa iam & firma promiſſio-
 ne Chriſti accepta, quodammodo accepiffe vide-
 batur. Erat enim per verba Chriſti præcedentia Cap. 16.
 quali

quasi nominatus Supremus Ecclesie Pastor,
Ioan 21. Collatione accepit in illis verbis: *Pasce oves meas.*
 Pro se ergo & pro Petro soluit Christus cum pro-
 testatione quadam sui & Petri, immunem se
 & Petrum esse professus, tanquam pro Ecclesie
 Capite residente, & Capite nominario seu de-
 signato. Ceteri Apostoli & discipuli Christi pro
 seipsis soluebant, iuxta communem legem cetero-
 rum Iudæorum, absque vlla protestatione
 Christi in contrarium. Hinc ex hoc facto elucet
 iuxta literam Petri primatus. Aliam olim expli-
 cationem dedimus iuxta Græcorum Patrum sen-
 tentiam in lib. de Princip. fidei. Sed hæc exposi-
 tio literæ & historie veteris tributi Moyfaici, cuius
 hic fit mentio, magis conuenit.

Lib. 6.
cap. 12.

Homil. 59
in Matth.

Notandum porro circa hoc Christi factum, à
 Marco illud studio prætermisum fuisse, quia ad
 Petri primatum pertinebat, sicuti cetera omnia
 eò pertinentia prætermittere solet, non permit-
 tente Petro humilitatis causa, qui Marci Evan-
 gelium vidit & approbavit, vt talia ad eius præ-
 ceteris excellentiam pertinentia infererentur: vt
 olim ex Chrysoftomo annotauimus. Deinde
 quia in itinere ad Capharnaum disceptabant in-
 ter se Apostoli, *quis eorum videretur futurus maior,*
 quum Christus à mortuis resurgeret, Christus factis
 potius quàm verbis volens eos admonere, pro
 se & pro Petro solo didrachmum soluit, facta ea
 quam diximus protestatione: & Petri primatum
 vt antea sæpe, sic ex hoc etiam accidente insinua-
 uit. Caluinus verò vt hanc Christi intentionem
 peruerteret, hoc Christi factum de didrachmi so-
 lutione, in sua Harmonia post sequentem dispu-
 tationem, vbi contentioni discipulorum satisfacit
 Christus, astute ponit: idque contra historie
 Euan.

Caluini
dolus
malus.

Evangelicæ iuxta omnes Concordantias manifestum filium atque contextum. Ne videlicet ad illam cæterorum Apostolorum de primatu contentionem, hoc Christi factum vlllo modo pertinere videretur. Ita omnibus modis fallendis imperitis insidias struit Calvinus.

IN MATTHÆI CAP. 18.

7. *Necesse est vt veniant scandala.*

NECCESSITAS hæc nec ex parte rei est absoluta, nec propter Dei præscientiam aut voluntatem infallibilis. Neq; enim quia Deus præscit, ideo euentura sunt scandala; sed contrà quia sunt euentura scādala, ideo Deus illa præscit futura. Multo minus quia Deus vult fieri scandala, ideo necesse est fieri. *Non enim Deus volens iniquitatem tu es;* ait Propheta regius. Sed posita hominum in mundo malitia & corruptione, necesse est ea venire; sicuti posita hominis infirmi mala dixera, necesse est illum malè habere. Cauendus igitur hæreticorum commentarius, Caluini imprimis; qui scribit hoc loco, *Deum velle homines scandalis esse obnoxios, quò fidem suorum exerceat; nec obstrepere nos debere, aut absurdum putare, quòd laxet Satanae frenum Deus, sed de arcanis Dei consilijs reuenter sentire.* Ita homo impius iuxta satanicam illam suam doctrinam, quòd Deus est author peccati, hanc Scripturam contrumpit, vt necessitatem scandalorum Dei prouidentia, adeoque voluntati impingat.

Deus non
est author
malorum.

Psal. 5.

10. *Angeli*